

na, ut in Ajacis. Auget quoque nobilitatem meam ipsa mater, quam Mercurii neptem esse constat: atque ita utrumque parentem diis genitum habeo. Sed quoniam (ut dixi) hæc bona fortunæ potius, quam nostra sunt, nihil in hac causa valeat, quod materno genere sum nobilior, quod in mea familia paterna nullus fraticida habetur. Quare omni nobilitate generis exclusa, solis in Rempublicam meritis causam expendite.

DVM MODO QVOD FRATRES] *Refutatio argumenti de cognatione & jure hæreditario.*

Deinde si in hoc negotio, ubi non de natalibus, sed de meritis contentio est, tanquam in adeunda hæreditate propinquitatis valeret, hæc arma non Ajaci sed Pyrrho filio Achillis, jure deberentur. Si vero is non relictus esset hæres, Peleo Achillis patri qui adhuc vivit, hæreditas obveniret. Videte ergo quàm imprudenter faciat Ajax, qui cum non sit gradu proximus, tamen hæreditario jure audeat arma postulare. Quid dicam de Teucro ipsius fratris germano? cur eandem hæreditatem non petit? Est enim Achilli non minus cognatione patruelis, quàm ipse Ajax. Sed ideo non petit, quia intelligit ea sibi nullo propinquitatis jure deberi.

ERGO OPERVM QVONIAM] *Conclusio: qua præparat aditum ad narrationem suorum meritorum in Rempublicam.*

Itaque cum in hac causa neque nobilitas, neque cognatio, sed sola utriusque virtus & merita spectanda sint, ego paucis attingam nec singula, sed præcipua, quæ pro communi exercitus salute in bello peregi.

PRÆSCIA VENTVRI] *Inchoat narrationem ab Achille adducto, colligens omnia ejus facta sibi adscribenda esse: se enim horum fuisse causam.*

Ac primum (ut ordinem rerum in narrando sequar) scitis quanta cura & sollicitudine Thetis mater Achillem filium custodierit, ne in expeditionem hanc proficisceretur, quam ex oraculo prænoverat ei fatalem esse. Abdidit eum in Gynæceum regis Lycomedis, ubi inter puellas  
vestitus